

DE IDIOTISMIS QVIBVSDAM LATINIS

I Editus est in actis archaeol. urbis Romae (*Bull. com. arch. comunale*) a. 1902, XXX p. 294 titulus Romanus in quo mulier . . . *lena Spechas* nominatur. muliebree cognomen *Spechas* novum esse in epigraphicis litteris Gattius adscripsit vir harum peritissimus. at non est aliud quam usitatum ancillarum ornatricium vocabulum etiam libris Ciceronis et Iuvenalis pernotum *Psecas*, quod in aliam formam abiit praeter inutilem adspirationem principalium litterarum ordine mutato. saepe enim promiscua habentur *sp* et *ps*, ut omittam prisca ista *spuo* ψύπτω, *Spyche* scribitur quae est *Psyche*, *Analempsis* quae Ἀνάλημψις (musei huius LI p. 640), quin etiam in latinis *contaspa* pro *contapsa* (CIL. V suppl. ital. 1095). adspirari alteram syllabam memini in Puteolano monumento facto *Marciae Psec|hadi* CIL. X 2698.

II *descendit* pro *descendit* teste Gellio VI 9, 17 iam Valerius Antias scripsit, quasi *scandere* verbum similiter esset compositum atque *abdere condere perdere*, vulgaris autem inferiorum saeculorum sermo eo progressus est, ut omnia verba in *-dere* exeuntia perfecto tempore ad istum modum declinari posse putarent, *prandidi prendidi odidi sponpondidi* (Schuchardt de latinitate volg. I p. 35, III p. 10). neque igitur mirum quod etiam ab *edere* ἐσθίειν perfectum faciebant *edidi*, immo eo minus mirum quod hoc verbum et illud quod est ἐκδιδόναι confundere et permiscere proclive erat indoctis qui brevem et longam vocalem non discernerent. quorum in numerum etiam Dracontius relegandus esse videtur poeta minime inlitteratus qui de laudibus dei I 504 ed. Vollmer. pedem debilem hunc posuit in hexametris *rubigo latens quae viscera ferri | cavedat, quae missa semel fornace liquescant*, agnovit vitium expulitque Eugenius Toletanus refigens *rubigo latens quae viscera ferri conrodant, quae missa*. fuit igitur *edidi* ἐδήδοκα, idque aliquotiens in Chironis mulomedicina legimus

velut § 292 ubi iumento insania obvenire narratur *a calore solis valido et si multum cibum ediderit*, reliqua exempla Oder indici grammatico inseruit p. 307. tamen idem Chiron etiam vetere more proboque perfectum fecit *edit*, et quoniam in codicibus syllabae saepe simplices duplicantur, duplices parilesque attenuantur, dubitaverit quispiam cui illam declinationem vindicet aevo, ipsine antiquitati an recentiori saeculo. bene igitur accidit ut latina nuper ex Syria adferretur inscriptio inventa in finibus Heliopolitanis, qua demonstratur iam uno aut duobus saeculis ante Constantini aevum, ante Chironem sive Hermerotem ita pervulgatum esse *edidit* pro ἐδήδοκεν, ut non indignum videretur titulo sacro ornato aram votivam. ea ara ob castum Syriacum sane memorabilis memorata iam est in CIL. III suppl. 13608, accurate delineatam cum arae tum signorum quae insunt et verborum imaginem Ronzevalle professor Berytensis edidit in actis academiae inscr. Gallicae a. 1901 p. 479 tab. III. inscripta sunt arae altera parte haec: *deo Hadrani Hochmaea v(otum) s(olvit)*, altera parte copiosius enuntiantia dedicationis causam haec: *Hocmaea virgo dei Hadaranis, quia annis XX panem non edidit, iussu ipsius dei v(otum) l(ibens) a(nimo) s(olvit)*. in bibliis christianis rarum est verbum simplex, frequens quod iam Domitii Afri temporibus invaluerat *non comedit panem*, in NTest. *manducavit*.

III *laxus lassus lapsus* permutari in codicibus saepe Batavi philologi demonstrarunt, *bs* sive *ps* ad unam *s* redactae sunt in *asportare ostendere suscipere*, item *x* in multis vocabulis abiit in *s* aut si vocalibus intercurreret in *ss*. quo factum est, cum gutturalis sonus ex *x* deperiret, ut eius in locum vel labialis subreperet ac negligentia infimi volgi etiam *bs* et *x* confunderentur. *axungiam* dictam esse apparet ab unguine axis, haec eadem *ab-sungia* vocatur in codice Chironis minimum quinquies (Oder p. 457). ab hoc medicamento nomine novum tractum est verbum *axungiare* quod Chiron habet § 661, et codex quidem tradidit *curato cottidie ab axungiare pedes* mixtum illud vulgaris formae et legitimae quadam contagione (*abs-* et *ax-*). iam veterinariam artem Pelagonii inspice, ultimum praeceptum 470 sic incipit: *aspurgantur animalia apud Venetos sic: de axungiae sextante facis collyria IX et in melle convolve et tria diurna per triduum dato mane, inde confrica*. ibi *aspurgantur* Sarchianium secutus posuit Ihmius, 'quamquam aliud latere posse peculiare concedo', codex praebuit *absurgiantur*. opusne est eloqui quid verbi postulem ut restituatur? *axungiantur*.

IV Fulgentius, grammaticus ille praestigiator, in expositione sermonum antiquorum p. 561 Merc. hoc profert commentum quod ex Helmii exemplari p. 115 cap. 12 transcribo, nisi quod *comedia* et quae similiter adversum orthographos Fulgentius ipse sive librarii commiserunt mihi non lubet iterare: *Pacuvius in Pseudone comoedia inducit Sceparnum servum ancillae dicentem: 'ni ego te blaterantem aspicerem, his mintium iudicassem'*; *blaterare enim quasi verba trepidantia metu balbutire dixerunt*. frustra sunt coniecturae veteres novaeque, neque expedit scriptori aut *mitius* quod iam Staverenus adnotavit aut *minutim vindicasset* quod editor novissimus. recordari oportet, quae de *s* impura eique praeposita syllaba Lachmannus quondam (ut Lucreti p. 231) et post eum multi multis exemplis probaverunt, *hismintium* nihil aliud est nisi *Sminthium*, Apollinem: nisi blaterares, inquit, esses *mihī magnus Apollo*, sive ex Vergilii hoc dicto sive e talibus *certus enim promisit Apollo* suam Fulgentius derivavit inventionem pro communi dei vatis nomine peculiare quaerens et abstrusum. favere meae interpretationi arbitror quod etiam maior ita existit numerorum similitudo ac versus species, nam *iudicasset Sminthium* si traieceris, bonum efficies septenarium, huius autem metri notitiam quandam Fulgentio vel novellorum poetarum lectio impresserat. itaque etiam inferius quae Pacuvio adfingit verba, proxime accedunt ad formam septenariorum, 33 p. 120 H. *non ego ita fui nunc ut sunt meretrices diobolae, quae suam nummorum causa parvi pendunt gratiam*. quod autem non servo servum dicentem ista fecit, sed ancillae, ergo Apollinis appellatione mulierem donavit, hic purus putus Fulgentius est, qui naturalia praefucatis quasi nihili aestimat nec genera veretur mutare masculinum et femininum, velut mythol. III 8 p. 73 H. meretricem inducit non Glyceram Glycinnam Glycian Glycen aut quodcumque aliud in usu fuit nomen muliebri, sed inusitate et ut ipsius locutionem repetam infrontate Glyconem.

idem Fulgentius ibidem p. 567 M. *luteum dicitur splendidum, unde et Pacuvius in tragoedia tietis ait 'non illic luteis Aurora biugis'*. ita plurimi libri, unus et alter *thietis* vel *tiethis*, Regnensis teste Helmio p. 125 *tietZis* proxime a vero, opinor. nam cum Iunius ceterique Thyesten inducant, ego illud interpretor *in tragoedia Zetis*. nimio quidem crebrius *z* et *di* alternantur, at aliquando etiam *thi*, *ti* et *z*, *Θεία* amita *thia zia*, in appendice Probi p. 198, 1 K. *Theofilus*, non *izofilus*. innotuerat nebuloni Africano Pacuvianus ille ex Antiopa Zethus, hinc tragoediam finxit

Zethi vel ut est etiam in declinatione vocabulorum indiligens, *Zethis*; contra in Phinei fabula myth. III 11 *Zetus et Calais* scribit. simile commentum ad litteras graecas pertinens animadverti in expositione continentiae Verg. p. 97, 4 H., fando enim acceperat Fulgentius aut utcumque noverat Dionysii Thracis artem grammaticam ex eaque propagatam etymologiam p. 8, 5 Vhl. *ῥαψωδία οἶονεὶ ῥάβδωδία τις οὔσα ἢ ἀπὸ τοῦ ῥάπτειν*, hinc haec finxit de ramo aureo Sibyllae narrans: *ramus dictus est apotes rapeodias, id est a scriptura, sicut Dionysius in graecis articulationibus memorat.* articulationum nomen sine dubio quasi *τεχνικῶν παραγγεμάτων* usurpavit.

est fortasse praeter haec quod conducat disputari ad enodandum Fulgentium (velut mythol. I praef. p. 4, 12 H. *in turborem tempestas exciderat* hoc verbum idem valere atque *excesserat*) aut ad corrigendum (velut ibidem p. 4, 13 *Alcyonei niduli placidam serenitatem*), sed deterret Mercerii auctoritas paene vetantis opem ferri nugatori. tamen unum non possum quin attingam locum ibid. p. 10, 15 *redde quod deuerbas sipnotico et quidquid libet Niliacis exarare papiris, feriat is aurium sedibus percipe.* unus Palatinus praebuit novum hoc verbum *deuerbas* non improbatum Helmio p. 201, ceteri omnes *debebas* idque recte, quatenus proverbium scriptor adhibuit forense notum ex Petronio Seneca Quintiliano, quod etiam in euangelium Matth. 18, 28 perrepsit, *redde quod debes.* Palatini scriptura ex *deuueras* orta est correcto in *debueras*, *b* super *u* scripta loco deerraverat. ego legendum propono *redde quod debueras ipnotico* i. *ὑπνωτικῶ* et interpretandum: somno te da et in somnis percipe quod scribas. [partim consentit mecum RELLIS in Fulgentianis modo emissis *Journal of philol.* XXIX p. 62 qui suasit *redde quod debueras sinopico.*]

V Adicio scholiorum Vergili Bernensium emendationem per se vilissimam, sed quae possit exemplo esse eoque utilis edituris scripta antiqua. eclogae VI 13 p. 795 H. *Chromis et Mnasyllus in antro] pastorum nomina qui Fauni et Satyri dicuntur propter solitariam et agrstem vitam, qui Silenum adorti sunt ut carmen excierent.* hoc *excierent* Hagenus posuit nulla quidem vi ac violentia, cum prior editor *audirent* obtrusisset, non omnes tamen ut expleret numeros. nam codex habet *exierent* idque interpretari oportuit *ut carmen exigerent.* saepe enim *g* inter vocales ante *i* maxime et *e* ad huius soni mollitiam delapsa detrita detracta est, *agil* et *ait* miscentur in libris, *chalcostegis*, non *calcosteis* docebantur pueri in vico capitis Africae (gram. IV p. 197, 22 K.), *vinti*

volgus malebat quam *viginti* efferre, alia. Seneca suas. 7, 14 postquam Ciceronis filii erga patrem pietatem narravit, sic pergit: *erat autem etiam ubi pietas non exigeret, scordatus*; ibi e Bruxellensi codice enotatum videmus *exieret*. Plautus compluribus dixit *aetatem exigere*, id *exire* scripsit Vetus in Milite 1039. Terentius Andriae versu ultimo *intus transigitur*, Victorianus *transicitur*. sed quid plura?

VI In Iohannis euangelio 13, 14 quod est ὀφείλετε ἀλλήλων ὑπίπτειν τοὺς πόδας, id in Amiatino codice more urbano versum extat sic *debetis alter alterius lavare pedes*, in Cantabrigiensi minus urbane *debetis invicem lavare pedes*, Cyprianus bis *aliorum* substituit, priore tamen loco p. 149, 21 H. codex Wirceburgensis *alterutrum* exhibet, eamque attestatur versionem Rufinus, rusticanam illam quidem aut semibarbaram: *debetis alterutrum pedes lavare*. similiter in ep. ad Galatas 6, 2 Hieronymus scribi narrat *alterutrum onera vestra portate*, Vulgata habet *alter alterius onera portate*. in Iacobi epistula legimus 4, 11 *nolite detrahere alterutrum, fratres; qui detrahit fratri, detrahit legi*. ad summam *alterutrum* factum erat quasi adverbium et pronomini reciproci viceungebatur ita ut ad varios casus significandos nulla egeret declinatione¹. terminabatur autem hoc quasi adverbium non uno illo modo sed etiam in *o* cadebat atque *alterutrum alterutro* in usu erat ut *primum primo, commodum commodo, iterum iterum* (carm. epigraph. 422, 3). perspexit rem ipsam et causam rei quaesivit et exempla dictionis conligere coepit Pauker in supplemento lexicorum lat. p. 23 s., paucis auxit numerum de Hieronymi latinitate disserens Goelzer p. 412, mihi duo exempla addere placet, unum quo manifestior sit usus communis et perpetuitas eius, sumptum ex libro sub annum 500 scripto quo 'verborum canistra plenis reserantur flosculis', alterum epigraphicum, id est et omni exemptum dubitatione omninoque certum vulgaris usus testimonium et ceteris exemplis omnibus antiquius, certe antiquius omnibus quaecumque e profanis libris adferri possunt (velut e grammatico de munitionibus castr. 43 *non plus quam tripertiti esse debent nec longe ab alterutrum* i. ἀπ' ἀλλήλων), item aut praestans antiquitate aut compar interpretibus sacrae scripturae Italicae. Fulgentius igitur adverbii instar *alterutrum* posuit mythol. I praef.

¹ nam et minus operosum molestumque erat una ac simplici positione efferre nomen longum ac bipertitum quam variare flexura novissimae syllabae multiplici, et quod tantidem fuisse modo vidisti *invicem* aequae erat indeclinabile.

p. 6, 5 H. postquam bellicis incursibus se adsiduo domi manere coactum esse rettulit haec continuans: *licuit tandem arva visere, limites circuire; egredimur . . . intuemur arva quibus adhuc impressae bellantium plantae . . . Troadum in morem ostentabamus alterutrum loca quorum recordationem aut internicio celebrior faciebat aut praeda.* in quibus Troadas ut memoraret, Senecae eum induxisse tragoedia videtur in qua *puer matri genetricisque nato, Troia qua iaceat regione monstrans, dicet et longe digito notabit: 'Ilium est illic'* eqs. Tro. 1050. hic *alterutrum* loco dativi est, pro genetivo in titulo quondam Romano nunc Veronensi CIL. VI 9663, quem cum arbiter egregius bene scriptum existimarit — 'tabula marmorea' inquit 'bene scripta' Mommsen ὁ μακαρίτης qui inspexit ac descripsit — nullo pacto detrudere licebit ultra finem saeculi a Christo secundi. fusus est ac verbosus sepulcri titulus garrulitatis muliebris nota quadam impressus: *d(is) M(a-nibus). in hoc tumulto iacet corpus exanimis cuius spiritus inter deos receptus est, sic enim meruit, L. Statius Onesimus, viae Appiae multorum annorum negotia(n)s, homo super omnes fidelissimus, cuius fama in aeterno nota est, qui vixit sine macula an. p(lus) m(inus) LXVIII: Statia Crescentina coeux marito dignissimo et merito, cum quo vixit cum bona concordia sine alterutrum animi lesionem, bene merenti fecit.* ecce *alterutrum* dictum pro *alterutrius* aut potius pro *mutua*, ἀλλήλων, immo vero *alteritrum* extenuata et imminuta vocali, quemadmodum Vmbr. *adputrali* in Lat. *arbitratu*, latina *caputalem* in *capit-* ac similia olim mutata erant, ut appareat fere oblitam esse plebem originis vocabuli nec iam percepisse sensu quod cum altero copulaverant *utrum*. itaque fuit cur praeceptum Placidus tale daret: *alterutrum aut hoc aut illud aut utrumque significat, <dict>ionis magis duas partes habet* (gloss. VI p. 55 G.).

VII *gn* ubi inter vocales intercedebant, ab aetate Augusti varie Latini efferebant volgoque pro ut enuntiabant scribendo varie adiciebant. nam alii gutturalem elidebant litteram more graeco (*Paelignus Paelinus* ut γίνομαι, Paelini vocabulum primum aetate exemplum eius elisionis esse puto, insecuta sunt non pauca ista *apruna mana rena*) aut exaequabant cum nasali (*signum sinnum*, huius rei primum exemplum quantum memini *stagnum stan-* num in quo plus valebat notionum discrimen, *sinnum* scio esse ex recentissimis), alii retinebant gutturalem atque offirmabant nasali posterioris syllabae anticipata ad priorem. hic modus pronuntiandi ceteros vincere vetustate videtur. in *privigno*, *maligno* media

syllaba producitur antiquitus, quamquam natura brevis fuit correptamque esse consentaneum est in *privigeno*. ut produceretur, non potest non factum esse vi nasalis coeuntis cum *g* et circumplexae eam, et quemadmodum *ignoscere* ac similia usu constanti scriptitarunt pro *ignoscere*, ita in ore loquentium *ign-* non multum videtur abhorruisse ab *ingn-*. talis vero exempla scripturae et perrara sunt, modo secernas quae secerni par est (ut in titulis *congnatus* scriptum pro *cogn-* vel in codicibus Vergilianis confusa *ignes* et *ingens*), neque ad altiorem temporum gradum ascendunt aut ulla commendantur vetustate. inter congesta ab Schuchardto I p. 114, III p. 60 et Seelmanno de pronunt. lat. p. 285 unum invenitur exemplum quod agnoscas¹ et momentum facere concedas, *singnifer* exaratum in monumento Romano CIL. VI 3637 'litteris pessimis' inscripto non ante saeculum quartum, ut appellatio ostendit militaris: *Val. Genialis miles legionis secunde Divitensium Italice singnifer*. eo magis operae pretium facturus mihi videor, si ex meliore aetate eiusdem rei specimen adtulero, aequale Quintiliano et Statio. nam lateres plurimos *Cn. Domitius Arignotus fec(it)* atque ita inscripsit CIL. XV 1094, eumque figulum HDressel ibidem p. 275 demonstravit iam ante quam Pompei Vesuvino incendio conflagrarunt artem suam exercere coepisse, quia Pompeis quoque pelves apparuere nomine eius signatae. hic igitur πᾶντο ἐγνωσμένως nobis *Arignotus* aliis laterculis satis multis (1094, 46—54) nomen suum sic impressit *Aringno(tus)*. nempe opifices huius generis alia omnia magis curant quam aequabilitatem sermonis, unus et idem modo veterem consuetudinem secutus modo novae obtemperans scribit nomen suum *Agatursi Agatyrsi Agathyrsi* (XV 466 s.) ac dispariliter declinat gen. *Hedys Hedynis Hedytis* (XV 1434 ss.): sic *Arignotus* docte, populariter *Aringnotus*, sic utique imperantibus Flaviis.

VIII Ex pietate, civitate truncum remanet *pieta, citta*, ex tribunali *tribuna*. huius origo pervetusta, certe Antoninis suppar. argumento est titulus Bedensis Treveros translatus explicatus ab Hettnero (inter lapides musei prov. p. 45) n. 67 *deo Mercurio sac(rum)*. *Sautus Novialchi fil. aedes duas cum suis ornamentis et triburna v(otum) s(olvit) l. m.* aediculas cum signis ad dextram laevamque et ut Tacitus ait *medio tribunal* exstructum puta,

¹ Seelmann quod addidit '*ignes* CIL. VI 3121', si nihil aliud, saltem in numeris erravit. si pro *ignes* id in aliqua inscriptione legitur, christianam esse et infimi aevi suspicor.

vocis corruptelam his progressam gradibus *tribunal tribunar triburna*. centiens enim et *r* hinc illuc transilit et *l* et *r* succedunt invicem. Καρπουρνίαi bis unus titulus Romanus (*Not. d. scavi* 1886 p. 404, 499), Κάλπουρνις Καλπουρνίου Cilicius (Heberdey et Wilhelm itin. Cilic. p. 149, 251). *triburna* cum idiotae *tribunal* vocarent, consequens erat ut nasutiores vitium quasi corrigerent in *tribuna*.

Bonnae.

Franciscus Buecheler.

Addenda

p. 35 *axungiantur* quod Pelagonio reddi volui, id ante iam voluisse moneor Theodorum Birt de *axungia auxungia* disserentem in musei huius supplemento vol. LII p. 68. ecce virum sagacem, qui creavit illo tempore inauditum verbum, nunc demum antiquo cognitum exemplo.

— p. 39 Statius Onesimus viae Appiae negotiator, cuius ex monumento Romano *alteritrum* protuli, fortasse idem est cum Statio Onesimo qui Aquileiae sepeliit amicum mercaturae causa ut opinor peregrinatum (Cagnat, *Revue archéol.* 1903 m. Aug. p. 173 n. 203): *L. Atilio L. l. Saturnino annor. XL domo Fl. Scarbantia interfec(to) a latronibus in Rtusis Atilius Tertius frater et Statius Onesimus amico, loc(o) gratuit. dat(o) ab Clodia Tertia.* litteras post *latronibus* scriptas sic legunt, nescio quam recte, et interpretantur quasi *intrusis* erratum sit pro *intrusis*, hoc falso, nam *intrudere* cum per se verbum nihili est aut prorsus nullum, tum hic nihil ad rem facit. significatur regio ut videtur barbarica in qua Atilius interfectus est. F. B.
